

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0903
	0901
	0907
	0897
330	
longus est et proprium codicem complet, non apposui Evagatorium, et proprio inscripsi libro.	0912
<b>Tractatus septimus Evagotorii incipit. Ad secundam Evagationem de Jerusalem ad montem Synai sic est processus.</b>	0892
Ad peregrinationem montis Synai tria praee exiguntur. Primum, ut peregrini cum dominis Sarracenis de Jerusalem convenient ad faciendam conventionem cum Trutschelmanno, super salva gwardia et salvo conductu nobis praestandum per desertum usque in Aegyptum. Et hunc tractatum fecimus, sicut patet Parte 1. fol. 218. A. B. Secundo exigitur, ut peregrini sibi provideant et emant sibi necessaria, quibus per desertum euntes vivere queant. De qua provisione habetur Parte 1. fol. 247. A. B. Tertium, ut dominus Trutschelmannus major juxta conventionem disponat camelos et camelarios, asinos et asinarios, et assignet certum diem et horam recessus peregrinorum. Et haec omnia sunt facta. Nam diem 24. Augusti, quae est festum S. Bartholomaei Apostoli, assigauit nobis pro recessu a Jerusalem, horam vesperarum. Igitur cum eodem die mane de ecclesia dominici sepulchri egressi essemus, post sumtum cibum omnes in montem Syon adscendimus et ibi ambos Callinos cum camelariis et camelis, asinariis et asinis nos exspectantes invenimus. Acceleravimus ergo opus nostrum et omnem supellectilem nostram eportavimus de monasterio fratum et in unum locum composuimus ad jussum camelariorum, (b) ut viderent substantiam eamque aequaliter camelis distribuerent portandam. Oportet enim ouera camelorum exquisite et curiose librare, ut sint aequalia. Cumque singula in unam congeriem comportassemus, factus est cumulus magnus et gravis, quia erant multi sacci pleni paximatiis, et multa vascula vino repleta, saccis cilicinis imposita, ne ea Sarraceni nuda conspicerent et nos molestarent, et multi utres aquarum, sportae insuper ovis replete, et caveae cum viventibus pullis gallinis et gallis, lectisternia et vestimenta nostra, sacci et cassidola nostra et sportae cum ollis, caldaribus, discis et scutellis. Et haec et similia multa faciebant ingentum cumulum, ita, ut	0852
	1002
	0802
	0402
	Ende
	Anfang